decim diebus a me clamatur inducias. ut animum uestrũ
conponentes prudentiori consilio non coacti sed ul
tro ad me ueniatis. maturetis. si uero haec non fece
ritis. coacti post haec facietis quod facere noluis
tis sponte. Paulus et iohannes dixerunt. Iam
induciarum nobis decim existima preterisse dies.
et ideo quod post decim dies minaris te facturum
hodie perfice. Iulianus dixit. putatis quia marty
res uos sibi faciant xpiani. et haec cum dixisset.
iratus surrexit dicens. decima transacta die spon
te ad me uenientes amicos uos habeam. non ueni
entes uero tamquam hostes publicos punio. Tunc
sci uiri iohannes et paulus xpianos adsebiuitantes.
ordinauerunt de omnibus quae relinquere potuerunt
ac per totos decim dies incessanter die noctuq. ele
mosynis insistentes. die uero undecima sunt con
stricti intra suam domum. missus namq. est te
rentianus campi ductor ad eos cum militibus ho
ra cenandi. qui ingressus. inuenit orantes. qui
dixit eis. dominus noster iulianus statunculum
aureum iouianorum ad uos misit ut adoretis illud
et tura incendatis ei. quod si non feceritis. ambo
modo gladio feriamini. non enim decet uos intra
aulam nutritos. ut publice occidamini. Iohannes
et paulus dixerunt. Iulianus si tuus est dominus.
habeto partem cum domino tuo. nobis autẽ dñs
alius non est. nisi unus ds pater et filius et sps scs
quem ille negare non timuit. et quia semel a facie
di proiectus est. uult et alios secum in interitum
deuenire. Haec et his similia multa cum dicerent.
et terentianus eos ad orandum iouem et tura incen
denda compelleret. tertia hora noctis transac
ta. terentianus uolens placere iuliano sicut dictũ
illi fuerat. et sine strepitu fame punire eos. fecit
fieri foueam intra domum eorum. et cum decol
lari eos iussisset. statim inuolui et reponi eos ius
sit. faciens hanc famam quod iussu cesaris mis
si fuissent in exilium. nullum enim signum inter
fectionis eorum inuentum est super terram. Stati

autem iulianus in bello persarum interfectus est.
Iouiniano facto xpianissimo imperatore. apertae sunt
ecclesiae. et coepit religio xpiana gaudere. Demones
autem ex obsessis corporibus intra domum iohannis et
pauli eiciebantur. confitentes scãm passionẽ eorũ.
Ita ut unicus filius terentiani qui eos nocte decolla
uit. ueniret intra domum scorum. et clamaret per
os eius demon. quod paulus et iohannes incenderent
eum. Tunc terentianus ueniens prostrauit se in
faciem clamans. quod nescimus quid faceret homo
paganissimus iussu cesaris adimplesset. Unde fac
tum est ut dato nomine suo. proximo die pasche per
ciperet gratiam xpi. quod cum fecisset. et post bap
tismum penituisset. adsidue orans et flens ad locũ
illum in quo scorum corpora requiescunt a scis di fi
lius ei mundatus est. ab ipso autẽ terentiano descrip
ta est passio ista scorũ. ad laudem et gloriam nomini dñi nri
ihu xpi. qui cum patre et spu sco uiuit et regnat per infinita
saecula saeculorum. amen.

EXPL PASSIO SCORUM
IOHANNIS ET PAULI.

INCIPIT PASSIO SCAE SYM
PHOROSE. UXORIS BEATI GETHULI
MAR CUM SEPTEM FILIIS
MEN IUN DIE XXVII.

XXII. SCS EUSEBIUS HISTORIAGRAPHUS MEMO
rat africanum poene omnium de urbe regia
atq. de tota italia xpi martyrum gesta conscrip
sisse. nam symphorosam dixit apud tiburtinam
urbem cum septem filiis suis una die ab adriano
principe hoc ordine interfectam. Cum fabricas
set adrianus palatium. et cum dedicare uoluisset.
ritu illo nefario. et coepisset sacrificiis idolorum.
immo demonum qui in idolis habitant. flagitare
responsa. Responderunt et dixerunt. Sympho
rosa uidua cum septem filiis suis lániat nos cotidie
inuocando dm suum. Ista enim si cum filiis suis sa
crificauerit. promíttimus nos omnia prestare
quae petimus. Tunc adrianus imperator iussit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_846/0216